

Exercitatio academica de insipidorum efficacia ... / [Otto Arnold Ripenhausen].

Contributors

Ripenhausen, Otto Arnold, active 1687-1688.
Schrader, Friedrich, 1657-1704.
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmstadii : Typis Georg-Wolfgangi Hammii, [1687]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b8v8kftc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
INSIPIDORUM
EFFICACIA

Q V A M
JUVANTE DEO

P RÆS I D E

FRIDERICO SCHRAADERO
MEDICINÆ DOCTORE EJUSDEMQUE
ET NATURALIS SCIENTIÆ PROF.
PUBL. & ORDIN.

FAUTORE PRÆCEPTORE ATQUE
AFFINE SUO HONORATISSIMO

publico eruditorum examini submittet

d. III. Decembr. clo loc LXXXVII.

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAJORI
OTTO ARNOLDUS RIPENHAUSEN

Göttingensis

Autor.

ꝝ (o) ꝝ

HELMSTADI,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.



REVERENDISSIMI SERENISSIMI
ET POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
DN. ERNESTI AUGUSTI
EPISCOPI OSNABRUGENSIS, DUCIS
BRUNSVICENSIS ET LUNE-
BURGENSIS
PRINCIPIS AC DOMINI MEI
CLEMENTISSIMI
CONSILIARIO INTIMO ET STA-
TUS MINISTRO
*VIRO ILLVSTRI ET EXCEL-
LENTISSIMO*
Dn. OTTONI GROTE
CAMERÆ PRÆSIDI
DOMINO IN WEDESBUTTEL, JUHNDE,
FACKENFELDE, KNESE-
BECK &c. &c.
PATRONO MEO SUMME VENERANDO
*DISSERTATIONEM HANC
OFFERO & CONSECRO*
O. A. RIPENHAUSEN.

*Illustris & Excellentissime
Domine*

Patrone summe venerande

Singularis illa, à prudentibus &
bonis deprædicata Illustris Excel-
lentiae Vestræ gratia, & tanto Ipsius
fastigio dignus veræ eruditionis cul-
tus ac propagatio tenuem me invitarunt ut,
excusso pudore, has pagellas Illustri Tuo no-
mini inscribere non verear. Diffidere enim
in hac tenuitate pusilli foret ac degeneris ani-
mi, tutiorisque esse audaciæ arbitratus sum

illa suscipere quibus venia paratior est ; quam
experta Excellentiae Vestrae facilitas & benevo-
lentia firmiter mihi pollicetur. Quoties enim
hæc animum meum subit toties erigi me ma-
nifestè sensi, & ad cœptum studium Medicum
alacriter & impigrè, Deo adjutore, continu-
andum exacui. Marceret enim omnis sæpè ad so-
lidam doctrinam anhelantium conatus, va-
cillat ac languescit haud raro illorum indu-
stria, qui Mæcenatum Patronorumque præsi-
dium sibi omnino deesse experiuntur. Qua-
propter demissè rogatum oratumque venio,
velit Illustris Excellentia vestra pristinam il-
lam benevolentiam , cuius tot luculentissima
Parens meus gratus circumfert testimonia, in
me quoque derivare , qua suffultus crescat
mihi animus, quo indefessa in optimis studiis
animi contentione ac constantia eò perve-
niam, ut, quod tenerè exopto, aliquid etiam
in Patriæ bonum olim conferre possim. Huc
mentem meam dirigam, huc vota mea seriò
convertam ; dulces mihi erunt illi labores,
læta incommoda, gratæ vigiliæ, quæ me il-

luc

luc evehent. Ita ne plane indignus sim Excellentiæ Vestræ gratia enitar, pro Cujus salute (à qua salus & multa felicitas in universam redundat Patriam) & incolumitate vota precesque meas religiosè spondeo. Salve humiliter Patronæ summe, & inter ardua totius Patriæ negotia prosperrimè rem gere, cultumque & obsequia benignè respice

Illustri Vestræ Excellentiæ

obsequentiissime devoti

O. A. Ripenhausen.

A 3

Q.D.



L. D. B. V.

DE

INSIPIDORVM EFFICACIA.

THESIS I.

Rincipiorum interpretandis naturalibus effectibus idoneorum veritatem ad hanc conditionem tanquam normam & amissim imprimis expendendam esse ut phænomena omnia & effectus ex iis possint deduci, non Cartesianorum modo constans est doctrina^t, sed illorum fermè omnium, qui suas hypotheses reliquis cunctis præferre, & unicè ex illis argumentari gestiunt. Utinam vero multi de suis illis hypothesis mitius modestiusque sentirent, nullamque ad sui cogitata cerebri torquerent observationem, sic enim fieret ut earum rerum, quæ sensibus apparent, veriores & genuinæ causæ invenirentur. Est enim hæc ipsa præjudiciorum origo, quod quibusdam phænomenis ex principiis quorundam reste fluentibus, illa mox nimium extendamus, omnibus accommodare nitamur, & communia ac universalia esse credamus.

II. Visi

II.

Visi autem sunt è quo naturali & medico studio operam dedi Chymici nonnulli horum numerum augere, dum persuasi sunt quæ in ollis & phialis suis deprehendunt, quæ circa mutatam corporum medicamentorumque μορφω in furnis suis peragi observant, perfectè illa repræsentare, quæ alias, & in ipso etiam corpore nostro peraguntur, & in simplicium æque ac compositorum medicamentorum facultatis efficacia & usu occurrunt. Dum enim sapore corporum immutato deletore illa in aliis experimentis chymicis, in solutionibus, in præcipitationibus vim amplius exserunt nullam, modo non omnem medicamentosam quoque qualitatem ab his corporum gustabilibus qualitatibus profici sci audacter pronunciare non erubescunt Destillatores, fumosis faciebus carbonum nigredinet tinctis obfuscatisque cuticulæ colorem ruboremque occultantibus.

III.

Id autem imprimis circa hanc rem intolerabile videtur, quod, etiamsi nihil, quod gustus sensum moveat ullumque ipsi saporem afferat, in subjectis talibus deprehendant, occulto tamen modo, & nescio quâ larvâ aut involucro absconditum simile quid adesse mordicus ac pertinacissimè defendant, & à salsis, acidis, vitriolicis, amaris, acerbis, dulcibus similibusque sapidis corporum particulis modo non cunctas concretorum, etiam in humanum corpus operaciones derivare allaborent; ejusmodi enim quid in recessu corporibus inesse, & ratione illius sapidi præcisè corpora agere, ejurata veluti sensuum fide, præsumunt.

Quam

Quam vero à sana omni doctrina hoc recedat & alienum sit, solidiori philosophia imbui cœptus agnoscat, ut enim Lucretius ait:

*Invenies primis abs sensibus esse creatam
Notitiam veri, neq; sensus posse refelli
Qui nisi sint veri, ratio quoq; falsa sit omnis.*

Opposuerunt se huic chymicorum opinioni, universaliter nimis de suis salibus, sulphuribus & mercuriis loquentium, &, repugnante utut sensuum testimonio, hæc in corporibus agnoscentium, omnesque hinc effectus fluere existimantium, philosophi excellentissimi: Imo Medici quoque, Galenicam & Hippocraticam methodum professi, valdè conquesti sunt novam è furnis ab illis nobis fabricari medicinam, & discentes à bonis autoribus, ab arduis studiis ad fornaces alegari, quod inter alios felicissimus trium Imperatorum Medicus Johannes Crato facere non dubitavit, qui quamvis injuriam sibi fieri ab illis, qui se tanquam chymiæ hostem & oppugnatorem reprehenderunt epistola quadam ad Zvingerum profiteatur, subne~~c~~tit tamen: *Imposturas illas & fraudes quibus in nominandis saltem rebus utuntur recensere longum esset, admirari τελεγυμνία ἀσαφῆ ηγή αἱμφίβολα maxima amentia.*

IV.

Nolo nunc Chymicorum, de re Naturali & Medica quam optimè meritorum, laudibus quicquam detrahere, ab eo enim si non modestia, quæ juventuti propria virtus esse debebat, ætas tamen mea, & quod ex inscitiæ tenebris pedem movere cœpi, promovi parum, facile me absterrret; præsertim cum ex illis quæ

quæ à Venerandis Præceptoribus meis in hac Aca-
demia hausī, compertum habeam, ad phænomena
in naturalibus rebus & præsertim quoque corpore
humano occurrentia, quæ è chymicorum funda-
mentis depromuntur, usum longè maximum habere.
Ut laus & gloria eapropter maneat, & apud ingenuæ
veritatis studiosos mansura sit Medicorum nostri tem-
poris Coryphæo, Francisco de le boe Sylvio, felici
quondam Medico & fido Professori, optimèque de
arte nostra merito, qui ea, quæ in laboratoriis chy-
micorum naturam arte adjutam præstare animadver-
tit, similibus in corporibus humanis evenientibus
Φαινομένοις congruè & judiciosè applicare noverat: Id
vero nunc tantum, Divini Numinis benigna ope fre-
tus, planum facere conabor, sapida non semper esse
quæ magnis pollut viribus, quæ efficaciam operan-
di habent & exferunt, sed de prorsus etiam insipidis
frequenter idem esse fatendum.

V.

Saporem corporum ab ignis majore aut minore
vi & elementorum certa mixtura resultare, prout Pe-
ripateticorum illi qui elementis & eorum qualitati-
bus quicquid fer nè in corporibus contingit refe-
runt acceptum, affirmant, refutat jam tum Scaliger
de subtilit. Exerc. 297. Et melius omnino fecissent si
ipsum Alexandri Præceptorem fuissent secuti, qui aptè
saporis naturam declarat, quando illum affectionem
corporis humidi genitam à succo terrestri per calo-
rem excocti pronunciat. Tria enim continet hæc
definitio, quorum unumquodque ad saporis natu-
ram declarandam pertinet & accommodatissimum

est. Humidi sc. aut liquidi 1. affectionem esse ait, quia, quæ absolutè sicca, quæ compacta & solidiora sunt, quæ à saliva in ore se dissolvi & in minimas particulas ad nervorum apices in linguæ & palati superficie protuberantes subeundos movendosque aptas dispesci se non patiuntur, nunquam sapida observantur; e.g. lapides, metalla, vitrum, cuius compositionem qui ingreditur sal ante concretionem sapidus erat, nunc saporis expers redditur, quod liquefieri & fundi à saliva aliove humore sese non sinat. Præterea 2. crassius quid ad terræ naturam accedens hic requirit Aristoteles, hoc est particulas rigidiores & aculeatas, quibus nervorum fines ferire & afficere possint sapida subjecta. Hinc aqua pura, aër sincerus & similia, ex flexilibus partibus constantia sapore carent. Tandem 3. calore opus esse dicit; experientia enim teste, eo mediante sapore, qui antea delituerunt producuntur, exaltantur, quatenus hujus ope particulæ sapidæ excitantur, expediuntur, moventur & attenuantur, quo facilius linguam subeant & potentius hanc qualitatem ipsi veluti affricent. Confer. Jacobus Rohaultius tr. phys. cap. 24. Moleculas autem illas saporem linguæ afferentes salinæ esse prosapiæ chymicis ita concedimus, ut omnem saporum differentiam inde pendere nullo modo existimemus, siquidem & his cum insipidis combinatis aliud sæpe exoriri saporis genus diversa à Boyleo, Græwio & aliis allegata exempla confirmant, quorum maximè obvium est, quod in saccharo Saturni nobis proditur, in quo acetum acre cum insipido plumbō junctum dulcedinem, quæ composito huic id nominis dedit, consequitur.

VI.

Postquam sic breviter, in quo saporum ratio consistat, attigimus, insipida quæ sint hinc sua sponte innotescit. Scilicet talia corpora, tales liquores, sapore destitui agnoscendum erit, quæ particulas ad linguam & palatum afficiendum dispositas & congruas non habent, & hinc saporem his sensibilibus partibus nequeunt imprimere; prout saporum originem expendens insignis nostri temporis Philosopherus Joh. Bapt. du Hamel l. i. de corpor. affect. c. 8. p. 80. productis etiam exemplis curatius exponit. Non negamus vero illis ipsis, quibus corpora gustus organon movent particulis, sapidis scilicet, aliis quoque effectibus praestandis inservire, quemadmodum in illis, quæ salina potentia agunt manifestum est, plurimum enim valere has activas & in aqua solubiles corporum particulas chymici in suis discunt & creberimè observant operationibus, ut concreta salibus insignita insignis sint efficacæ, illis demtis evocatisque mortuis & inertibus similes evadant capitibus; quod exemplis confirmari posset facile, ni vulgaribus experimentis id cognitissimum cuilibet esse confidamus. Nequaquam tamen idcirco pro inefficacibus inutilibusque habenda esse, quæ salibus carent, & gustus passionem inferre non possunt, sequentibus jam thesibus luculentius sum probaturus.

VII.

Possidere igitur insipida non pauca intimam tam texturam, ejusmodi esse conditionis & naturæ, ut ad res immutandas & notabiles quam maxime effectus edendos facta sint, & disposita, ex effectibus

corum clarissimè elulescit, quales à sapidissimis etiam exspectare non poterimus. Neque enim à priori hic argumentari fas esse putamus, & illis niti, quæ oculis, vitris exquisitissimis armatis, se conspexisse illi gloriantur, qui modo non minimas naturæ atomos exanimi subjiciendas sibi sumferunt. Scilicet, quæ circa salium, plurimorumque liquorum, & aliorum corporum interiora se microscopiorum ope intuitum esse arbitratur Antonius à Leuenhoek in epistolis ad Collegium Londinense hoc anno unà impressis, titubantis fidei esse equidem existimem, & ni valde fallor, tam dubiè ipsus interdum rem proposuit, ut non obscurè prodat, ipsum non semel esse minimis particulis delusum excoecatumque, & desinente illa proportione, quæ inter hæc exilissima & nostros ad observationes requiritur sensus, fingendi incepisse licentiam. Satius eapropter erit & ad rem magis à posteriori argumentari, & ex illis quæ præstant insipida eorum colligere efficaciam.

IIX.

Antequam vero productis evidenter exemplis id agamus, monendum hic esse judicavimus plurima insipida sola fluiditate sua agere, quicquid agunt, ratione cuius ad immutandas res, aliasque ipsis conciliandas proprietates sunt sufficientia, & accerrimis etiam falsissimisq;, firmitatis statum habentibus, aptiora. Etenim fluida corpora, quod ex partibus actu separatis & per interiectum subtilius fluidum in perenni motu detentis constant, sicuti recentioribus Physicis id omnino concedendum arbitramur, hac sua intestina & perpetua particularum agitatione mediante usque

usque & usque corporum poris latebrisque impelluntur, ut iterata sic sæpius earum allisione, concussione, insinuatione, non vi, sed sæpe cadendo corporis particularumque nexum tandem dissolvant, aliaq; earum hinc resultet dispositio, & corporis aliæ, & à pristinis sæpe diversissimæ qualitates exsurgant.

IX.

Atque idem fluiditatis status, corporum maximè aëtiva principia ad expeditiorem melioremq; operationem disponit, ut hinc ratio elucescat axiomatis, quod apud Tachenium aliosque chymicos invenitur: Salia non agere nisi soluta sint. Si enim non soluta, sibi invicem accumbunt salinorum concretorum aculei, vel à crassioribus durioribusque liberi non sunt, segniores & imbelles prorsus sæpè existunt, soluta vero, hoc est, per intercurrens aliquod fluidum divisa, excitata & in motum abrepta salia agendi vim notabiliter nanciscuntur. Hinc universalis chymicorum est encheiresis, salibus, solutionum, præcipitationum, coagulationumque plurimarum instrumentis, ut eo melius res succedat modicam aquæ addere quantitatem: Et ad ipsas hoc extenditur destillationes, sic in prima destillatione cornu cervi primum prodit phlegma, deinde sal volatile oleosum, facta autem destillatione hacce, dum rectificatio instituitur, sal volatile phlegma præcedit. Non autem nimium extendi id debet, ac si planè non agant salia quando soluta non sunt: Neque unquam id in mentem venit chymicis peritis. Probè siquidem noverant, non pauca corpora solidiora & ipsa etiam metalla facta cum salibus sibi relictis stratificatione sicca tali corrosione dis-

solvi; Imo pulveres siccos invicem conjunctos effervescentiam concitare sequenti experimento in Aëris Haffniensibus probat Borrichius : *R. Regul. antimon. optim. unc. IV.* easq; in mortario vitro marmorove in tenuissimum redige alkohol (nisi in alkohol abierint, frustra experimentum sollicitabis) quod seorsim in charta munda repone, mox in eodem mortario prius expurgato mercur. sublimat unc. XII. itidem comminue in pulvisculum subtilissimum, tandem pollinem utrumq; in charta crebra bacilli querni (vel fagini, neg; enim magni interest) agitatione conjugé, ut minima minimis probè admisceantur. Nullus adhuc calor, nulla fumi graveolentis vestigia. Pulveres hos ita permistos vitro quadrato minusculo, & vulgari quidem, sed strictioris orificii immitte, immissoq; bacilli frigidi extremitate latiori continuo valde comprime, ita ut superficies pulveris ubiq; pressa in arctum cogatur : Diu adhuc quiescit pulvis, frigescitq; licet ad quadrantem horæ undiq; angustetur sed insiste premendo ad quadrantem adhuc unum & notabis deniq; bacillum tuum, qui ante superficiem tantum lambebat altè mox subire massam, & ad fundum usq; viam sibi facere, quo viso dictum factum crassi fumi oboriuntur, vitrum incalescit, materia extra oras sese evolvit, spumat, effervescit, &c.

X.

Quandoquidem vero quæ fluiditatem servant requisitis ad corpora solvenda immutandaque idoneis prædita sunt, ratione solius fluiditatis insipida efficaciam quandam possidebunt. Quod enim solutiones in specie attinet admittendam censemus, ab exemplis ipsis nobis monstratam distinctionem, quam accuratissimus

ratissimus Bohnius Disp. Chymico-Physic. VI. §. 10.
assert. Triplicem scilicet menstruorum agendi mo-
dum esse, alium, quem jugi motu suo, alium, quem
suarum molecularum figura & mole præstant, alia
vero motu & configuratione simul in concreta opera-
ri; & motu quidem suam activitatem aquae impri-
mis exserere, quatenus illa concreta porosiora v. g. sa-
lina & vegetabilia sine effervescentiæ strepitu subeunt
ac penetrant, adeoque identidem allidendo exagi-
tandoq; ramenta sibi cohærentia discontinuant, & in
poros recipiunt, secumque auferunt: Ad quod ipsæ
munitissimæ partes, è quibus insipida fluida com-
ponuntur, erunt accommodatores quam crassiores,
mordacitate gustus organon ferientes; siquidem te-
nendum omnino est neutquam idcirco fluida hæc
esse insipida, quod crassiores sint earum particulæ,
quam ut linguae ac palati nervosos apices intrare &
vellicare possint; Aliud enim persuadebit Boyle in
Chymista sceptico p. 133. Potest enim omnino con-
tingere, imo contingit etiam sæpius minutæ tales,
corpora constituentes, partes talis esse magnitudinis &
figuræ, ut vel insigni sua exilitate, vel figura etiam
sua non equidem aptæ sint quæ in nervos & mem-
branosas organi gustus partes se insinuent, & in ipsis
sensibilem impressionem efficiant, & tamen idoneæ
ac dispositæ eadem sint, quæ in plura alia corpora
operentur, effectusque notabiles quam maximè, &
ab inerti aliquo phlegmate haud exspectandos produ-
cant. Mercurius, omnino utut insipidus, corpuscu-
lis tamen adeò minutis constat, quibus in solidissi-
mum quod sub sole est corpus, aliis acerrimis etiam
fluoribus

fluoribus impenetrabile, Aurum nempe, irrepit libere, & intima compactissimi hujus metalli pervadit penetralia. Qui ad Alkahest provocant, & de mirandis illius omnia corpora in insipidam aquam resolvendi virtutibus referunt, non acrem, non corrosivum, sed omni acrimonia prorsus illum carentem esse dicunt, ut Helmontium tract. Complex. atque Mixtionum Element. figmentum §. 27. insipienti patescat. Pace tamen illorum, qui hujus promissionibus, tanquam è tripode dictis, inescati, adeò inhiant, dixerim, dubitandi hic locum esse, quomodo custodiri, aut in quo vase hic, omnia in elementarem aquam redigens li- quor asservari potuerit.

XI.

Ipsa quoque corpora omni destituta sapore continent particulas, quæ accedente motu aliter dispositæ, junctæ, unitæ & configuratæ diversos sapores, multiplices qualitates acquirunt, virtutesque diversas adipiscuntur; quod aptiori exemplo vix confirmari posse censemus, quam quo utitur Boyle tr. de orig. form. & qualit. & in Chym, Scept. Liquor scilicet, qui verno tempore ex vulneratis vitium extremitatibus destillat saporem odoremque nullum habet, quo à simplici aqua distingui possit; à quo tamen sola motus diversitate & hinc resultante particularum alia positura ac modificatione accedente, tot diversæ deinceps obtineri possunt substantiæ, humanis usibus plurimis inservientes. Primo enim in ipsa planta digestus & in suo per vitem transitu coctus, ut vulgo loquuntur, in lignum, corticem, medullam, folia & baccas vitis mutatur, quæ succum acidiusculum includunt. Suc-

cus

cus iste dat mustum; mustum suppeditat vinum,
quod calori expositum degenerat in acetum. Cru-
sta & sicca fæculentiâ à vino deposita, quam Tarta-
rum appellamus, in quot iterum dividi sapore &
virtutibus distinctissimas substancias possit, norunt, qui
vulgares etiam chymicorum operationes cognove-
runt. Ut sic insipida complecti corpuscula talia hinc
intelligatur quæ conjuncta aliasque proprietates me-
chanicas adepta, notabili etiam sapore se manife-
stant.

XII.

Non conabor ergo id longa rationum serie am-
plius stabilire, quod adeò apertè natura ipsa eviden-
tissimis suggerit exemplis. Quid enim quæso saporis
omnis expers aér non efficit? cui miram durissima
etiam corpora dissolvendi virtutem inesse experimur,
ut nec ferrum ipsum ejus impetui reluctetur, sed in
rubiginem ab eo dissolvatur; ut ex calce & gypso ni-
trum educat, illudque exterius efflorescere faciat, pro-
ut in cellis & antiquis muris id fieri observamus; ut
corpora corrosivorum quoque vim eludentia emol-
liat, aut fragiliora efficiat; ut fixis corporibus vola-
tilitatem quandoque impertiat. Aqua simplex
omnium, qui suis sensibus non prorsus diffidunt, ju-
dicio insipida est, diversitas tamen ejus longe maxi-
ma occurrit, & in digestionibus, macerationibus,
coctionibus deprehenditur, ut differentiam illam co-
qui etiam in culinis attendant, attendere certè debe-
ant, si non frequenter fine suo excidere volunt. Nobil.
Cartesius Meteor. cap. i. text. 3. aquæ naturam ex-
plicaturus supponit, constare eandem & reliqua similia
corpora,

corpora, quibus cingimur, multis exiguis partibus figura & magnitudine differentibus, quæ nunquam tam accuratè nœxæ & continuatæ sunt, quin plurima spatia inter illas pateant; non quidem vacua, sed referta materia subtilissima. Deinde supponit, exiguae illas partes, quibus aqua componitur, longas leves & lubricas esse, anguillarum parvularum instar, quæ licet jungantur & implicentur, nunquam tamen ita nœxæ cohærent, ut non facile separentur. Confer. Joh. Bapt. du Hamel Phys. general. tract. I. c. iv. ubi ex ipsis aquæ effectibus fusius eleganter, pro more suo, hæc explanat. Ridebis hæc fortassis, & mentis hæc ludibria, in cachinnos effusus, clamabis, qui calvariam formarum qualitatumque fumis repletam habes tumidamque; sed magis ipse rideundus es, qui hæc non ad observationum & experi-entiae normam, sed ad præconceptas tuas & Aristotelis autoritate, quam adoras, munitas opiniones examinas. Sane constare aquam ex particulis, quæ in corporum consistentium poros facile penetrant, eorumdemque compagem dissolvant & immutent, si quid in natura fieret magis quam quod in tuis systematibus exscriptum est respiceres, liquido appareret. Nonne enim sensibus propemodum ipsis innotescit, glabras flexilesque magis quam ramosas cum ineotericis esse supponendas aquæ particulæ? poris enim corporum adhærescentes calore admoto facile evanuntur, & corpora quæ madida reddebant relinquunt, oleosis pertinacius multo poris adhærescentibus, ut ab iis se expellere tam facile & detergi non possint. Et hinc id profici sci arbitramur, quod observant crebro artifices, vase metallica facilius aquam continere quam oleum,

hoc

hoc firmiter partibus agglutinato, ac sequaci suo lentore filisque cohærentibus ubicunque vel minimum offendit foraminulum, aut angustam rimulam sensim & tarde sese insinuante, sibique sic viam faciente. Oleum aquæ se non patitur, ut notissimum est, misceri, & commotis utut bacillo agitatisque his liquoribus, oleum proprios custodit limites, & inguttulas sphæricas particulas suas colligit: quoniam nempè læves & flexiles aquæ particulas illæ mox elabuntur, propter ramositatem autem suam se invicem amplectuntur, & conjunctæ manent. Et inde quoque fieri, quod aqua, quamvis dilatabilis valde, vix quemadmodum aëre ad angustius spatium cogi patiatur existimat laudatus Bohnius Diss. Chymico-Phys. Vta, quoniam proximus læves flexilesque aquæ particulæ sibi invicem accumbant, hinc spatiola exigua intermedia relinquunt. Imo hinc tantum esse ait inter aquæ & aëris gravitatem discrimen, illius enim pondus contingens vicibus superare illustr. Boyleus Exper. Phys. mechan. contin. 2 art. II. monstrat.

XIII.

Huic suæ texturæ & perenni molecularum suarum motui debetur maxima illa aquæ vis, quam inesse haud suspicareris, si omnem à sapidis subjectis efficaciam derivandam fore existimares. Tantæ enim est potentia simplex aqua, ut mutationes corporibus inducat à spirituosis acerrimisque saepe non exspectandas, quod paucis illustrare exemplis à proposito alienum non erit. Durissimum cervi cornu, animalliumque dentes, quos inter ossa omnia firmissimam

solidissimamque compagem habere constat, solo insipidæ etiam aquæ vapore mollescunt, tenerescunt, & friabiles evadunt. Salina concreta nulli libentius promptiusque quam aqueo liquori sese associant, ab illo enim se dilui ac dissolvi patiuntur, quæ tamen à sulphureis ac spirituosisimis etiam fluoribus intacta relinquuntur. Gummosa ac mucilaginosa subiecta nulli obsequuntur facilius quam insipidæ aquæ, & ab illa se absorberi imbibique sinunt, breve temporis spatio tota deliquescunt, spirituosos tamen, volatiles, activosque liquores alios hæc non admittunt. Vid. Willis. tr. de ferment. c. IX. Integrum agnellum sola simplici aqua, ita cum omnibus fere partibus leni calore fuisse à Celeberr. Meibomio nostro, Præceptore meo devenerando resolutum, ut mucilaginem meram referret, à Clariſſ. Dn. Præſide olim annotatum reperio. Quid in macerationibus etiam durissimorum saxorum, in mineralibus, vitriolis, aluminum, nitrosis falibus ex mineris suis proličendis evocandisque valeat, *duūpius* queo testari, qui patriæ nostræ metallifodinas cum Clariſſ. Dn. Præſide inviſens, & alibi etiam curiosius hæc indagans vim hujus elementi demiratus sum. Nihil notius est quam aurichalcum, argentum etiam, aqua limpida aspersa maculas acquirere, ubi acidum corrodens accedit nullum: Unde quanquam stylus argenteus inductu pancreatico aliquamdiu relictus cæruleo colore tingatur, & tali, qualem instrumenta argentea à quibusdam acidis suscipiunt, pro aciditate tamen succi pancreatici defendenda hoc nihil poterit, sicut ex dictis clarum esse opinor. Ferrum per ignem candefactum

& in

& in aqua extinctum ipsi virtutes medicis notissimas
& ægrotantibus utiles conciliare tritissimum est.
Aquam limpidam in quâ parva Mercurii quantitas
ad tempus & vel per unam noctem relicta fuit, vel in
qua breviter ebulliit mercurius, quamvis nullum sa-
porem aliamque sensibilem qualitatem ab argento
vivo acquirat, facultatem tamen lumbricos in huma-
no corpore necandi acquirere scripsit Helmontius,
nec mentitur illum esse experientia aliorum dein-
ceps evicit ; & novi hodieque qui non fallente effe-
ctu, ut verminationi in infantibus resistant, per ali-
quod tempus cerevisiam hoc mercurii contagio im-
prægnatam bibendam porrigunt. Nobilis quædam
fœmina, quæ aliquot aulas sua pulchritudine orna-
verat Illustr. Boyleo fasta est, insipidum hunc per in-
fusionem mercurii in aquam limpidam paratum li-
quorem inter omnia innoxia faciei Cosmetica esse
optimum quæ unquam repererit, ut ipse refert
Boyle in Chym. Scept. p. 133. Antimonium crudum,
hujus regulum, epar, vitrum, infusum, coctum ve-
vim emeticam, sudoriferam, sanguinem mundifi-
candi aquæ simplici elargiri constat, ut errasse visus
sit Sachsius, quando in Ampelographia sua negat
aquam antimonium imbibere posse, nisi vino addito:
Vinum enim solum suo volatili sale virtutes antimonii
attrahere sibiq; communicare. Nec obstat quan-
do P. Joh. Faber. apud Lang, de Thermis Carolin. c. 3.
asserit, dari in quadam Galliæ regione puteum, qui
ex antimonii fodina ac minera stillantes aquas conti-
nuè emittat, neque tamen has ullis antimonii gaudie-
re virtutibus, ac impunè ab incolis bibi. Dulces enim

& nulla labe contaminatos rivos ex montibus mineralium metallorumque feracibus erumpere & profluere in Hercynia sylva ipse observavi. Attendendum enim hic puto ipsum currentis aquæ motum non posse lambendo sic veluti superficiem mineræ particulas in illa contentas extrahere & secum ducere, talem sæpè situm aquarum venis obtinentibus, ut meditullium minerarum, & ubi particulas solubiles habent, aqua non attingat. Neque etiam firma erit consequentia, quandoquidem accolæ nullo sequente effectu aquâ illâ utuntur, propterea nullas qualitates medicamentosas illam acquisivisse, cum maxima consuetudinis potestas omnem ejusmodi medicatæ aquæ operationem elidat, quemadmodum ad pyrmontanas acidulas habitantes aquas illas quotidie bibunt, imo rusticus per totum illud tempus, quo

Sole sub ardenti flaventia demetit arva
fitim suam largis aquæ hujus haustibus restinguunt, nec tamen alvum hinc sibi moveri sentit: nemo autem idcirco purgandi vim his aquis denegabit, qui unquam, quam sæpè ad acidulas has ablegati sellas repeatant, conspexit. Et præclarè quomodo medicaminum fortiorum quoque vires in assuetis inertes fiunt exposuit Theophrastus Eresius histor. plantar. l.9. c. 18. Atque ex his fusius paulo, utut pluribus brevitatis studio omisisis, declaratis, clare ut opinor elucescit, magnum solvens & efficacem liquorem aquam puram esse, quod clarum etiam dare annis est Martinus Kergerus tr. de fermentat. seft. i. c. 8.

XIV.

Multo autem penetrantior evadit aqua, quando
ab

ab aeris incumbentis & inclusi nisu in corpora dissoluti-
oni, digestioni, macerationique destinata urgetur am-
plius, & veluti intruditur : Sicuti aere machinæ dige-
strici ab Ingeniosissimo Papino descriptæ incluso &
compresso durissima corpora brevi resolvuntur. Et
aerem aquæ inclusum illam longe reddere efficaciorem
docebunt illa experimenta quæ Joh. Baptist du Hamel
de conf. veter. & nov. phil. l. 3. c. 3. allegat, quæ hic de-
scribere, esset à proposito longius digredi. Miraberis
vero, si, quantum in isto tamcommuni liquore delites-
cat, exponentem inspexeris Boyleum in Experimentis
novis pneumaticis respirationem spectantibus titul.
Vto

XV.

Si, qvæ de insipidorum efficacia attulimus haet-
enus, jam ad humanum corpus & Artem Medicam cu-
ratius distinctiusque vellem applicare, latissimus illam
porro interpretandi mihi aperiretur campus, qua-
propter maximè obvia saltem proponam, ut non steri-
lem esse hujus rei attentam considerationem, sed mul-
tum claritatis in Artis etiam usu afferre patescat. Si
per omnes in corporis nostri visceribus & officinis con-
tingentes mutationes mentem circumfero, sane non
acria, non acida, non aspera, non mordacia sunt, quæ
magnam in eo vim habent, quibusque mediantibus
functiones in internis partibus peraguntur, sed san-
guis ipse, vitalis illa in vasis fluctuans unda, & omnes re-
liqui humores nostri corporis temperati sunt, & acri-
moniæ tantæ, quam sibi hic fingunt multi, demonstrat
nemo, expertes. Sunt blandi potius lenes, mitesque.
Quamprimum vero ab hoc suo naturali statu recedunt

& in

& in acres succos degenerant, morbis occasiones suggerunt, citius saepe non expugnabiles, quam si aptis remediis ad pristinam suam lenitatem mollitiemque reducantur. Acerrimus intoto corpore humor, bilis amaritem quidem habet, dulcedine tamen mixtam, ac copioso sero mitigatam; illud enim ad humoris fellei structuram necessario concurrere Glissonius Anat. Hepat. c.39. sub finem praesertim pluribus monstrat, postquam sub initium capitum per sapores quidem majorem certitudinem de qualitatibus concretorum nos indipisci posse, illorum tamen diversitates ac immutationes haud perfectum indubitatumque principiorum omnium elementarium in mixtis corporibus, & virtutum eorum judicium praebere fassus est. Ut bilis naturam rectius cognoscant, plerique ad experimenta chymica provocant, quae si considero salinum illud & alcalicum quod praepollere, & quo mediante effervescere in tenui intestino Sylvium & Graefium sequentes suspicantur, parva bili inest quantitate, oleosae enim & praesertim phlegmaticae partes obtundunt ita minorem illam Salini acuminis quantitatem, ut effervescentia, a pugilibus salibus puris magis existentibus exspectanda non possit contingere: Si enim rationem secundum analysin ineas, ex unc. XXIV redundant aquosi phlegmatis unc. XXII. Bilis per se, inquit Moebius, in fundam. Physiol. c.XV. ignis examinationi commissa, quod oculato testimonio scimus, veram aquam praebet insipidam, nullum oleum, nullum sal volatile, relictio in fundo materia terrestri sine salis indicio. Et si vel maximè, nec enim id omnino negaverim, aliquid salis volatile per ignem instituto examine obtineatur, ratione

ratione tamen illius salis volatilis bilem in corpore operari pessime concluditur, nihilque à ratione magis alienum esse verè dixit ingeniosissimus Scriptor, qui sub nomine Jani Leoniceni metamorphosin Aesculapii & Apollinis gliscentibus in Physiologia erroribus opposuit, quando pag. 106. ridet argutulum illud entymema, cuius iniquissima est consequentia : Ex bile elicetur per chymiam sal volatilis cum spiritu acido effervesces. Ergo bilis effervescit cum succo pancreatico. Quo jure ergo inter salia alcalia referatur bilis à Regnero de Graef de succo pancreatico, Isbrando de Dimerbroeck Anatom. l. i. c. 17. Sylvio in disser. Phys. 17. & Prax pag. 109. Glisson. in anatom. hep. pag. 318. luculenter hinc ut arbitramur patescit.

XVI.

Quam suaves lenesque reliqui corporis nostri sint humores, per singula si ire nobiscum lector non fastidiret, luculenter cognosceret, potioribus tamen nunc rem confirmare studebimus. Salivam quæ ciborum præparationem resolutionemque in ore inchoat, insipidam esse, qui sani sunt, testabunturomnes, neutiquam tamen inertem illam esse aquam, tum ex aliis, quos extra corpus humanum edit, effectibus, ex singulari nempe sua fermentandi, mercurium figendi & extinguendi, sanandi & detergendi quoque facultate, tum ex ipsa ejus *ένεγρης*, quæ in nostro ab illa dependet corpore, clarum esse existimem. Dum enim spiritus animales, quos per nervorum ramulos glandulæ accipiebant, involvit & complectitur sub ipsa ciborum masticatione instar universalis menstrui particulas quorumcunque alimentorum divellit, horum-

D

que

que vincula laxat, & hoc modo non tantum saporum dignotioni inservit, sed ad ventriculum quoque descendens fermenti illius, sive, quod idem est, succi digestioni destinati, non ultimam partem constituit.

XVII.

Et falsissimum atque à natura ipsa alienissimum esse suppositum, saporem quæ non habent notabiles effectus procurare non posse vel ipse humor ventriculi fermentalis designat, cuius potissimum beneficio aut activitate alimenta specietota diversissima, ut ingeniosiss. ludit Caspar Barlaeus, in ventriculo unum fiunt, & veluti in pulticulam & polentam concoquuntur, efficiturque, ut terrestria aquatilibus utrisque volatilia ex facili permisceantur, ut obsonium & ferculum, furfuracea & hordeacea, ovilla & vitulina, affa, frixa, tosta, elixacoeant, ut columba patiatur sturnum, asellus lupum, perca porcellum, aper leporem, vitis brassicam. Acidū esse hunc succum digestioni ciborum incumbentem vetus est & longè ante nostra tempora nata doctrina utpote à Galeno & Avicenna quoq; exposita, quorum ille præsertim l. 5 de usu partium c. 4. hic libr. I. Can. Fen. I. Doctr. 4. c. I. illud asserit. Secuti hos fuerealii maximo numero & illi quoque, quos, dubitationem ad veritatem viam sternere probè intelligentes, alias non facile, nisi experientia uberiore confirmatis opinionibus adhærere novimus. Eandem tuebantur sententiam Zactus Lusitanus, Quercetanus, Hogelandus, Petrus Castellus, Walæus, Highmorus, Sylvius, Willisius. Demiror autem illos, qui Chemiæ periti fuere, non considerasse insufficiens planè, & ineptissimum acidum fore menstruum ad cibos omnis generis in homogeneum ta-

le liquamen convertendos. Quomodo enim acidis men-
struis ad proportionata tantum concreta resolvenda
idoneis cuncta parebunt? qui possumus concipere aut
ulla ratione nobis imaginari tale menstruum universa-
le acidum, quod indifferenter quorumvis corporum
naturalium poros subeat, compagem dissolvat, solida
cum liquidis, aquosa cum pingvibus & oleosis in uni-
formem cremorem reducat? Vid. Joh. Conrad. Brun-
neri Diatrib. de lympha & genuino pancreatis usu.
Sane, quotiescunque administrationibus anatomicis
clariss. Dn. Præsidis interfui, ubi sapor hujus hu-
moris variis inquirebatur experimentis, ne vestigium
quidem aciditatis, varia utut ratione rem tentantibus,
se patefecit. Fingere vero occultum, ubi nullum id
signis nullis indiciis vel linguæ manifestis, vel per bo-
nam quoque consequentiam collectis id se prodit, est
nugas agere. Omnem similiter illum laticem, qui per
machinulas hydraulicas hinc inde in via sapientissimè
dispositas præterlabenti cibo & sanguinis futuri rudi-
mento infunditur blandam & omnis saporis expertem
lympham esse, qui non ad nihil recasuris ratiunculis,
sed experimentis nituntur, confirmant. Et de succo
pancreatico contra Sylvium, Graefium, Schuylium
aliosque Needham de form. fœtu & Lowerus de cor-
de id testantur, & extra dubium tum de succo pancrea-
tico, tum de aliarum glandularum intestinalium liquo-
re, ejusdem cum illo prosapiæ, rem posuerunt expe-
rimenta diligentissimi Brunneri circa pancreas & chy-
lificationem instituta. Conferri potest Joh. Conr. Pey-
eri idem nobiscum sentientis Exercit. I. de glandulis
Intestinorum. c. 2.

XVIII.

Blandos ergo & svaves valente homine esse succos corporis arbitrari fas esse duco, firmiterque mihi persvadeo. Requirebantur enim tales ad harmoniam illam in œconomia animali servandam, nullæ siquidem hic debebant contingere effervescentiæ, nullæ ebullitiones, sed temperatissima hic esse omnia. Simulac vero ab hac sua $\chi\varphi\alpha\sigma\alpha$ succi si deflectunt & acrimoniam adipiscuntur, non possunt non turbæ oriri, functiones labefactari & prodiversitate humorum corruptelæ, in varios morbos incidere mortales, prout jam antediximus. His autem morbis ut Medica arte succurramus, illosque ejiciamus feliciter, non semper ad acrimoniam habentia salia, spiritus, Essentias, Elixiria confugiendum, sed melius sæpè id exsequimur temperatis, moderatis, blandissimis, imo insipidis quoque. Quemadmodum enim concedendum esse puto, non semper odoribus aliisque sensibilibus qualitatibus medicamenta, superandis morbis apta, virtutes suas medicas manifestare, ut recte in sapidis & odoris vim medicaminum potissimum hærere negasse mihi visus sit Borrichius Herm. Ægypt. & Chem. sap c. IV. sub finem. Inodora enim, ut ibi loquitur Vir Dodfissimus, est gentiana, rhabarbarum, colocynthis, curcuma, pleræque radices, pleraque semina, nitrum, infinita alia, quæ non ideo desinunt in medendo esse efficacia. Quin & multa sunt nec odora nec sapida & viribus tamen efficacissima, ut varia metallica, mercurialia, lapi-des pretiosi, margaritæ, imò & purgantium emeticorumque vegetabilium nonnulla. Quanquam enim non dif-
fitear verum esse, quod multa de saporibus afferens

Fran-

Francisc. Glissonius in anatom. hep. c. 39. adducit, insipiditatem parentiam aetivorum principiorum innuere, universale tamen id nequaquam esse ipse concedit Glissonius, & qui rerum naturalium ac medicarum cognitione vel leviter tincti sunt confitebuntur. Longissime enim non raro vincere tenuitate ac exilitate sua particulas à quibus qualitates medicamentosae corporum dependent illas quæ saporem in nobis efficiunt, ex §. X. elucescit: ut fuerint etiam, qui opinarentur citra assumptionem sui hæc medicamenta operari, nihilque corporei atteri vel consumi, quod tamen rejectum est ab illur. Boyleo de mira subtilitate effluviorum c. v. Imo hoc ipsum ansam videtur dedisse Hemonio suspicandi quædam remedia irradiatione quadam agere, suosque effectus fortiri.

XIX.

Si ad prisca illa tempora respiciamus, non in acribus, falsis, acidis omne suum præsidium veteres collocasse observabimus. Antiquissimi Arcades, non medicaminibus utebantur, sed lacte potissimum circa vernum tempus bubulo, quoniam, ut inquit Plinius l. 15. c. 8. boves omnivoræ sunt in herbis; hoc enim familiaritate quadam naturæ & lenitate substantiæ insinuat se nobis facillimè, nullaque ægri reluctantia commissa sibi opera absolvit. Hoc itaque & serum frequentissimè in morbum delapsi adhibebant, quod & memoriæ tradiderunt qui Gnidias conscripsere sententias, dum corpora tunc vegeta, simplicique assveta vieti modicum lapsum sero & lacte naturæ familiarissimis abundè instaurabant. Vid. Joh. Nardii Ph. & Med. Florentini Lactis Physicam

Analysin. Nudam aquām tot gentium potum fuisse, non ad vehiculum solum alimentorum sitimque exemplandam delictum, sed ad custodiendam emendantamque valetudinem scimus. Et nemo qui, quid in morbis contingat, unquam intellectus, negare audet, (ut spero) humores nostri corporis sua acrimonia vel falsa, vel acida, vel biliosa, aut alia morbos parere. Sicuti autem extra humanum corpus acrimonia & corrosivitas liquorum maxima, aquae quantitate majore affusa, trangitur, sic nuda & veluti vacua aqua, nullarumque qualitatum, nec acidi, nec falsi particeps, absorbet salium in partibus hærentium, vel toto sanguine errantium spicula, & diluendo illa discontinuandoque ita retundit ac infringit, ut invalida evadant, nihilque amplius corpus ab illis experiatur incommodi; Præsertim autem si largiori manu ægris illius usum indulgemus, ut humorum acrum partes irritantium ac præternaturales incorpore motus parientium aculei ab affusa aqua fracti & imbibiti, ad emunctoria facilius deducantur & eliminentur. Idem jam nobiscum arbitrabatur Rhæses l. l. de peste c. 7. qui aquam frigidam ægris pestiferis porrigebat. *Nam frigida, inquit. si paulatim absorbeatur, sudorem elicit & adjuvat foras extrudere superflua ad corporis superficiem.* Dissident quidem Medici inter se, num aqua peste correptis pro potu concedi possit, his usum illius damnantibus, aliis cum Rhæse commendantibus, quam tamen litem ita dirimit Isbrandus de Dimerbroek insigni de peste tract. l. 3. c. 2. ut aquæ optimæ usum tum concedi posse putet, dummodo non peccetur in nimia quantitate, in qua si ardens & biliosa febris pesti sit conjuncta

juncta tam facile non excedemus. Humidissimum
enim, quales Pharmacopœi parare nesciunt, multo
minus Chymici ex suis de promere norunt vitris, aqua
est medicamentum, quod acrimoniam, quæcunque
fermè illa sit, enervat, & sic sedatis nimiis fermenta-
tionibus refrigerium affert corpori, & molestissimam
his febribus ordinariè conjunctam sitim restingvit; ut
mirum non sit, quod eruditissimus Franciscus Vallesius
de locis manifestè apud Galenum pugnantibus affert,
aqua frigida copiose & affatim potà febres ardentissi-
mas & erysipelata quandoque sanata. Convulsionem
aquæ frigidæ infusione curatam idem Valles. Contro-
vers. Med. & Philos. l. 8. c. 4. memorat: Et notabile est
exemplum, quod à Fautore & Affine meo plurimum
colendo Domino D. Ebelio, Potentissimi Ducis Cellen-
sis Archiatro accepi, se nosse epilepsiam in adulto jam
viro periodicè revertentem, percuratam fuisse, da-
to singulo mane jejuno stomacho bona aquæ fonta-
næ simplicis quantitate. Idem limpidus latex in
dysenteria biliosa egregiam opem ptæstitit, ut est a-
pud Amatum Lusitanum Cent. 2. Cur. 46. In chole-
ra quoque, annotante Borello cent. 2. obt. 27. Perti-
nacem ventriculi dolorem summè excruciantem aquæ
frigidissimæ haustu in momento se stitisse retulit mi-
hi Clariss. Dn. Præses. Neque alia mihi videtur ratio
plurimorum fontium salubriorum, qui Germanis die
Gesund-Brunnen vocantur, illorum nempe, qui a-
quam simplicem sapore exactè referunt, nullisque mi-
neralibus imprægnati sunt, qualem fontem non lon-
gè à Magdeburgo urbe hoc anno enatum esse retule-
runt. Quicquid enim in morborum cura à talibus

nobis

nobis polliceri possumus, id contingere videtur unicè, quod diluant hæ limpidæ undæ, atque eluant acrimoniā, sive in ulceribus externalium partium hærentem, sive in ipsis corporis sitam recessibus.

XX.

Non enim aqua quælibet his medicis usibus est conveniens, sed clara, limpida, nullo sapore vel colore infecta, qualis est fontana, præsertim quæ ex arenaeis, & saxosis locis erumpit, ad quam proximè aqua fluminum accedit, præsertim, si probè purificata bibitur, quemadmodum in Ægypto fit, & pluribus urbibus, quas fluvius Rhodanus alluit. Vocantur ibi propterea Rhodani potores, juxta illud Poetæ:

me peritus

Discet Iber Rhodanique potor.

Hippocrates aph. 26. sect. V. aquam levissimam commendat, quæ cito calefit & cito refrigeratur. Ad litteram vero hoc accipiendum non est, nec enim aquæ bonitas ad stateram experiunda. Quemadmodum scilicet cibus aliquis dicitur gravis stomacho, cum eum subito non pervadit, sed ipsi molestias creat, licet pondere levissimus sit, ut fungi, sic cum aquâ epotâ nihil incommodi percipit ventriculus, intestina cito illa pertransit, sine torminibus, ac flatuum producione, hæc aqua dicitur levissima, quia ejus frigus cedit statim stomachi calori, unde dicitur ab Hippocrate citò calefieri. Non immerito autem aquæ puræ correctionem ab igne exspectant, & calefactam ac infusione herbæ Theæ, aut vernaculæ etiam, & in nostris hortis provenientis plantæ medicatam tantopere celebrant illi, qui, pristinum Romanorum morem imitantantes,

tantes , non voluptatis tantum , sed medelæ potissimum causa tam avidè ferventem aquam abliguriunt, tantaque copiâ haurire amant, & in tenui illo ac domes-
tico liquore evidens etiam valetudinis præsidium in-
veniunt. Quanquam enim herbam illam infusam vi-
res quasdam corpori communicare negandum non
sit, & imprimis languenti , ac aquarum mollitie laxa-
to stomacho visceribusque succurrere , blandaque ad-
strictione illorum robur tueri atque confirmare; vehi-
culo tamen non aliquid , sed plus hic deberi sum per-
sensus, cuius lento diligentissimoque usu , & nullo hinc
fastidio adeò facile oborto , gravium & periculosorum
morborum semina extirpare licet. Quantum in
communi & domestico nostro malo Scorbuto Potus
calidæ conduceat , exponit elegantissimè doctus & ce-
leberrimus Pechlinus in Theophil. Bibacul. seu de Po-
tu Theæ dialogo p. 40. Et postea præclarè & ad rem
ita loquitur : *Certè, si qualitatem spæces puræ aquæ, sed*
calidæ atque excordæ, nihil reperias quod succis corporis
nostri affinius, qui sunt ipsi dulces & calidi ; si copiam,
nihil in ea infesti, dum exitum reperiatur ; si vias & du-
stus, una illa Naturæ obsequitur, omnibus perinde excre-
tionibus idonea , nam & alvum, si in eam feces propen-
dent, dicit, & ad urinæ vias & ad sudores pari im-
petu & se & morbidi fermenti reliquias magno laboran-
tium commodo convertit ; nam illæ salium tinturæ,
quibus pleriq; morbi innituntur, sæpiissimè illo diluvio
vel eluuntur , aut, ut solent acria quæq; lotionibus mi-
tescere, temperantur, ut mirum non sit, medicos peritio-
res tam salutarem calidæ usum expertos esse , ut etiam
febrium plurimas illa sola feliciter superarint. Certè

hoc indicio novi ego Archiatrum Clarissimum , non in calculo tantum aut Podagra , sed & variis febribus , etiam ardentibus , plurimum profecisse . Propinabat ille Calidam , postquam constaret de Naturæ proclivitate , & cunctantem copia & calore usq; eò provocabat , donec in Excretoria erumperet ; neq; tum mora , quin liberalissimos , in illa imprimis ardentium siccitate , indulgeret hau- stus , magnâ ad sanitatem compendiariâ . Quid , quod Calidæ usum in Arthritide & Calculo , & ladi & aliis jusculis prætulerim , quando nulla ibi acidi semina , quæ sœpissime ibi è lacte emergere solent .

X X I.

Aliorum medicamentorum insipidorum efficaciam , si specialius rem pertractare vellem , clarè simili ter ostenderem . Hoc unicum tamen non possum non coronidis loco subjungere , imprimis hic notandum probè esse , medicamenta plurima , & præsertim insipida quæ sunt , intra corpus data passivè se habere , non agendo in corporis partes operari , sed humoribus occurrendo pati potius illorumque impetum sustinere . Peccantes nempe succi medicamentorum particulas crebro aggrediuntur , saturant , rodunt , & ita ab his corriguntur , absorbentur , invertuntur , temperantur , figuntur , ut efficaciam suam amittant , morborum vis frangatur , & exoptatissima sanitas per hæc corpori redeat . Vid . magno Artis Medicæ bono nati , magnoque illius damno nobis erepti Michaelis Ettmüller de Præcipitantium usu & abusu exercitatio . Sane quisquis vel oculorum cancri latè diffusum usum , à Sachsio tam prolixè in Gammarologia congestum , quisquis reliquorum Ostracoder- morum

morum, lapidum, animalium partium durarum, calcinatarum, metallicorum corporum, ac martis imprimis operationem considerat, nobiscum, ut equidem confido, faciet. Qui enim talibus insipidis vires & efficacem ægros juvandi potentiam denegat, experientiæ Medicorum quotidianæ impudenter obloquitur. Sed contrahendos esse Dissertationis meæ limites sentio, quo lectorum satietati occurram quorum erudita ora & delicatissimi fastidii mentes insipidis his à me adductis facile alias offenderentur, naufragamque conciperent, quapropter hic finio; majores profectus assecutus palato magis abblantientia dare allaboraturus.

SOLI DEO GLORIA.



E 2

Ad



Ad Eruditissimum Dn. Respondentem Affinem atque Amicum honoratissimum.

Inspidum vires dum Tu non
absque sapore
Ingenii doctâ suaviter arte doces,
Pallida morborum sibi quid promit-
tere poscit
Turba, doces. Omen JULIA Diva
probat.

JOH. BARTHOLDVS NIEMEIERVS
Primæ Philosophiæ Prof. Publ.
Ordin. Academiæ JULIAE h. t.
Vice Rector.

Quod

Quod sapit, effectu nunquam caret, at caret
illo

Insipidum, vocis ceu monet ipse sonus.

Tu contra, quod sit variis effectibus aptum

Insipidum, solidâ jam ratione probas.

Hinc bene quâm sapias patet, effectuque decoro

Eminentia ingenii vis generosa Tui.

Junctus honos opibus, Galeni munera rara,

Te quoque, doctrinæ præmia certa, manent.

Nobilissimo & Dodissimo Dn. Respondenti Cognato suo honoratissimo, de insigni eruditionis specimine paucis hisce l.mqz. gratulatur

Georgius Engelbrecht, D.
& in illustri Juliâ Juris Professor
Publ. & Ordin.

Quae sese eximio sapore produnt,

Efficacia sunt, suasque vires

In sanis pariter probant, & ægris;

ed non esse potentiae minoris,

Quæ lingua insipida esse judicavit,
Usu præcipiente, ritè monstras.

Non sunt sola acida, aut amara : non sunt
Lixiva, aut muriatica, aut salina,
(Nostri somnia seculi, & prioris,)

Quæ morbos faciunt, fugantque morbos.

Est in insipidis retrusa virtus:

Est occultior abs sapore virtus:
Virtus dædala, de sinu & recessu
Naturæ intimiore provoluta.

Felix, qui, experientiam secutus,
Istæc sedulitate lustrat omni!
Non ille insipidus: sapit profectò!

*Auditori suo industrio
Scripsit*

Henricus Meibomius.

Mas hör' ich ? Ubt Er sich in ungeschmackten
dingen/

und ich soll ihm zu lob' erregen meinen fiel?

Wie kan ich/wie kan er ersehn der ehre ziel :

wirt

wird nicht mein falscher vers recht abgeschmackt
flingen ?

Ihr Musen saget mir ! wie soll ich diß besingen ?
Es ist nichts ungeschmacks / was er davon
hervor wird bringen :

Das flingt im Teutschen nicht ; auch trifft der vers
nicht ein.

Thut einmahl mir die Gunst / und sagt es in La-
tein !

Ex udo sapor est, sed amat sapientia siccum.
Rebus in insipidis qui sapit, ille sapit.

Dem Herrn Respondenten
zu Ehren beygesetzt von

G. E. Schelhammern M.D.P.P.

Ergò, pererratis Naturæ finibus, unum
Id Tibi, quod reliquis nil sapit, usque sapit?
Non dulcedo capit, non Te, quod sentis
amarum,
Commovet: *Insipido* stat sua vis & honos.

Com-

Communisné Tibi sensus vitiata voluptas ?
An veri gustum Temet habere negem ?
Imò Tuum, *Insipidis* gavisus, prodis acumen,
Nèc Tua mens grato capta sapore jacet.
Libera floriferos per saltus omnia libat ;
Nec cautam fallunt, si qua colore placent.
Fumosis jactet se inventis natio mendax :
Ore Tibi patulo nulla saliva cadit.
Non antiqua Tuo sunt sola accepta palato ;
Non gustas, mirâ quæ novitate nitent.
Scilicet id clara Tua clamat pagina voce :
Cui præter verum nil sapit, iste sapit.

*Nobiliß. Dn. AUTORI RE-
SPONDENTI
Convictori suo quondam jucun-
dissimo
gratulabundus f.*

Caspar Corberus.

